



Muth. 648





De vita & morte

# ILLVSTRIS ET GENEROSSI VIRI, DOMINI

TYCHONIS BRAHEI, EQVITIS DANI,  
Domini in Knudstrup, Huenæ Helleponti Danici Insulæ  
Præfecti, Astronomorum hoc seculo Principis, die 24. Octobris,  
Anni M. DC. I. Pragæ desiderati, 4. Novemb. in templo ve-  
teris Vrbis primario ritu equestris, honnorifi-  
centissimè tumulati.

## ORATIO FVNEBRIS

*Iohan. Iessenii à Iessen.*

S V S P

I C I O.



P R A G AE

Typis Georgij Nigrini. Anno M. D. C. I.

Venus



RVDOLPHO II. IMPE-  
RATORI INVICTISSIMO, AVGV-  
STISSIMOQVE, DOMINO NOSTRO  
CLEMENTISSIMO.

**A**mdudum, CLEMENTISSIME CAESAR, patriam  
deseruimus Daniam, consanguineos, & quos cha-  
ros habuimus, & à quibus amati sumus, omnes.  
Peregrinationem hanc lubenter tulimus, & susti-  
nuimus fortiter. Nam illorum instar omnium  
nobis erat parens noster TICHO BRAHEVS. Sed cùm nunc is  
etiam, it à jubente D E O, vitam hanc mortalem cùm immor-  
tali alterā commutarat, quò felicior, eò nos, tanto solatio, & pre-  
sidio maximo, destitutos, longè reddidit infeliores. Nusquam  
igitur, post D E V M, quàm in Te, nobis orphanis, spes unica, sum-  
maq; relictacùm sit, in Tuam nos tutelam & protectionem re-  
cipi, clementiā erigi atq; servari, subjectissimi supplicamus.

Tychonis Brahei  
Hæredes.

"A 2"

DE

# DE VITA ET MORTE DN. TYCHONIS BRAHEI, &c.

*Oratio*

D. IONAN: IESSBNTR.

**V**ix quenquam ego, Illustres, Generosi, Nobiles, Amplissimique omnium ordinum Viri, tam duri cordis esse existimo, quem inexpectatum amici, etiam vulgaris, mortis nuncium non commoveat. Certè quos necessariorum, coruinq; qui vite autores ipsis extitere, aut quibus iij etiam lucis hujus causa fuerunt, vel à quibus beneficio affecti aliquo sunt, occubitus vehementer non conturbet, hos ego saxe potius, quam homines, pronunciarim. Et quidem luctus hujusmodi, cùm inter paucos sit, unam vel alteram domum non egreditur, aut saltem extra unicam se se non exerit civitatem, quandoquidem privati alicuius commodi jactura singulos non attingat. Communis verò boni privatio, quoniam cunctis vim inferat, omnibus damnum adfert, indeque profectus dolor inerit quoque omnes exercet; & tanto gravius eius amissio, cuius usus fuerat in vita maximus. Quem verò vestrum, per D<sup>m</sup> v m immortalem, ingens illud Naturæ bonum, Generosum dico & Nobilissimum Virum, Dn. Tychonem Braheum, Equitem Danum, cuius nomen per totam Europam diu jam exauditum est celeberrimum, latere potest? Et profectò, ne in hominum quidem censu, nedum literatorum ordine, reputandus is, qui ignoret, quantis beneficijs literas & literatos is auxerit, divinis planè, & nullo unquam ævo intermorituris ingenij, sui monumentis: quibus, quæ in coelestium motuum ratione priscos fugerant plurima, indefessò labore, feliciq; operâ, nos & posteros nostros dexterrimè instituit. Vnde

de si, qui vivimus, vel invidiæ tabe affecti, vel ignorantia febre ægri,  
 ingratiti istud diffiteri, & scientes, videntesque, ignorare velimus: po-  
 steritas tamen, si quæ modò ulla futura est, eaque erudita, æstimatu-  
 ra, maximopereque istud deprædicatura. Hunc vos virum tantum,  
 Astronomiæ restauratorem, cæterorumq; illius artificum hoc secu-  
 lo facilè principem, ante oculos vestros videtis depositum, videtis  
 mortuum, quem fato functum passim nunc inaudiunt exteri, famâ  
 certè omnibus ingratissimâ; qui certatim paulò pòst condolentiæ suæ  
 atque luctus publicum edituri sunt testimonium; quibus etiam, du-  
 bium citra ullum, istud in votis nunc est unicum, ut, aliâ cùm rc ipsum  
 prole qui amplius nequeant, saltem funerationis postremo officio no-  
 biscum præsentes afficiant. Quantò igitur magis nobis, qui adsumus,  
 & quorum oculis triste hoc spectaculum obversatur, istud velle &  
 præstare maximè convenit? Quod etiam, & frequentes, & lubentes,  
 agimus, unàquæ tristi hoc vultu, gestuque, afflictissimos ipsius hære-  
 des erigimus, nec parùm consolamur. At me, ut verum fatear, hæc  
 magis magisque ad luctum invitant, in primis cùm apud animum re-  
 peto meum, inopinatum & subitum occubitus Tychonis nuncium,  
 primum in funestas ædes ingressum, ubi conjugem honestissimam,  
 præ dolore sibi fermè exemptam & semimortuam, lecto affixam; e-  
 ducatissimam sobolem, obvolutâ facie, in tenebris, humi jacentem  
 & gementem, parietes pullatos; turbatam familiam totam; denique  
 T Y C H O N E M meum feretro impositum, prius mortuum aspexisse,   
 quām ægrotantem percepisse: eundemq; adhuc intucor, eo planè  
 affectu, qui solatium exspectare verius, quām id præstare aliis, debeat  
 vel possit. Sed in tantâ animi mei consternatione, quò me & vos o-  
 mnes fortassis reficiam, illud hoc tempore, quod passim usurpari so-  
 let, mihi occurrit, impatientius eos solùm plorandos, quorum turpem  
 vitam inhonesta mors infecuta sit; haud verò mori, quos virtus ipsa  
 præstet immortales. Id si sic habet, veluti verissimum est, T Y C H O

A 3

Xofcr

noster mortuis haud erit accensandus: quod omnium sese faciebus offerat virtus conspicua, ad cuius lucis clarissimos radios exercitari necesse sit mendaces noctuas. Nam si quis, clarâ patriâ natus, celebris judicandus; si generosis ortus parentibus, primam virtutis sementem accepisse putandus; si liberaliter educatus, liberalis & ipse habendus; si excuso ingenio praeditus, sublimum disciplinarum ardore incensus, iisque occupatus, excelsus & ipse existimandus; si ex fortunæ bonorum affluentia felix censendus; si ingenii, editis in publicum, inventis & monumentis, planè diuinis, is tantò excellentior aliis, quantò sese alij hisce inferiores; si regibus, virisque principibus, ob hæc charus, fortunatus exclamandus; si clarorum & magnorum hominum applausus & collaudatio, laudatum & ipsum efficit; si commodus usus thalami; si morigera soboles; si denique placida mors, etiam atque etiam beatum præstare possunt: profectò TYCHONEM nostrum omne h̄ic tulisse punctum, pro virili meâ ostensurus sum. Et quanquam optarim, alteri cuiquam, cui maior dicendi vis, minor autem ex luctu animi perturbatio, hasce partes iniunctas esse: tamen, cum de eo viro verba mihi facienda sint, qui seipsum, etiam metacente, cum in viuis esset, bonis omnibus prolixè probauit; ea etiam suppetat rerum copia, ut quid è tanto dicendorum numero, pro temporis angustia, potius omittendum, quam commemorandum, cogitare necesse sit; onus hoc mihi imponi tantò facilius passus sum. Quò etiam perduxit plurimi temporis liberalis & suauissimi nostri conuictus, amoris mutui, mutui officij recordatio, & denique hospitijs nunc mei destinatio, paulò ante mortem, amicissima, & insuper in ipso desiderium mei hoc postremum. Veritatis igitur simplex cum sit oratio; non est, quod à me verborum ampullas, aut ullum insolentem sermonis habitum h̄ic expectetis; quandoquidem deformia fucos desiderent & glaucomata, nullâ cerussâ indigeat per se decora facies; parq; sit, ut orationis nostræ indumentum respondat formæ vestitus. Proinde

inde multa me paucis, illustria humilibus, læta tristibus proferre, pa-  
 tienter admittite. Patriam ergò quod attinet, ea TYCHONI nostro Da-  
 nia est; quæ aliquòt jam, ante Christum natum, seculis regiâ dignitate  
 clara, plures semper sagatos, quām togatos, genuit: Iulii Cæsaris mi-  
 nias animosè contempsit, impetus illatos viriliter depulit, & cum vi-  
 cinis populis frequentia bella gessit. Incolæ, quibus Rex imperat,  
 in equestrem & plebeium statum distincti. Inter equestris ordinis  
 homines, qui inibi sanè amplissimus est, primario loco Brahei repu-  
 tantur, qui, ex Sueciâ jam olim reges comitati, splendidissimis feudis,  
 ob virtutem, fidemq;, in militiâ constanter præstítam, in Daniâ ditati  
 sunt. Ante sexcentos annos unum atque alterum ex hac familiâ ad  
 regiæ dignitatis fastigium evectum, in annalibus Danicis legitur:  
 Non pauci quoque Monasteriensem Episcopatum illum aureum su-  
 perioribus temporibus administrarunt. Quin & hodiè, in Sueciæ  
 regno nobilissimo, ex Braheis orti supersunt, qui Regi proximi Co-  
 mites salutantur. Et coràm aspicitis Inclytum & Generosum Do-  
 minum Dn. Ericum, Comitem in VVesingeburgk, Liberum Baro-  
 nem in Rhedebhollen, Dominum in Lindholm, qui, ut domesticum  
 infelicem absens dolet patriæ statum, sic funeris agnati sui præsens  
 spectator tristissimus. Braheos genus suum ad Augustos, Sueciæ Re-  
 ges, non injustè referre, vel nummus quidam argenteus, juncorum  
 manipulo notatus, à Regeq; Iohanne III. signatus, confirmat. Nam eo  
 insigni ad stemma deducendum, comprobandumq;, suum omnes u-  
 zuntur. Natus est Tycho noster, anno Christi 1546. decimo quinto De-  
 cembris, intra nonam & decimam horam matutinam, Knudsturpij, in  
 Scaniâ siti, patri Ottoni, viro militari & magnanimo, primogenitus:  
 matre Beatâ, ex vetustimâ Billorum familiâ ortâ, quæ septuagena-  
 tria haecenùs superstes audita est; per plurimos annos vidua; fœmi-  
 na gravis, pietatis & pudicitiæ toti sexui exemplum. Hæc filium su-  
 um sollicitè admodum educavit, ad sanctitatem & virtutem cohorta-  
 ta se.

ta sedulò, cui is vicissim omne præstitit obsequium: Quæ indoles egre-  
 gia in primâ succrescente ætate, patruo suo, Georgio Braheo, admo-  
 dùm grata ipsum impulit, ut, cùm liberis careret propriis, hunc ad-  
 optatum sibi a sciverit, domi, parentis loco, pædagogi operâ, informa-  
 rit, donec decimum & sextum ætatis annum prætergressum, Lipsiam  
 emitteret, ubi, summâ alacritatè literarum bonarum viam ingressus  
 altiorem, in iis pauxillo tempore ità progressus est, ut excelsi ingenij  
 signa ediderit manifesta. Naturâ propensus erat ad cœli studium,  
 cui tam diligenter incumbebat, ut, invito præceptore domestico, (cui  
 juris studium cum discipulo tractandum iniunctum fuerat) libellos  
 astronomicos passim coëmeret, sineque intermissione perlegeret; Bar-  
 tholomæo Sculteto, tûm studiorum causâ Lipsiæ degente, clâm in  
 consilium adhibito. Noctu, sereno cœlo, pædagogo inscio, lecto se se-  
 subducens, sidera omnia, è globo exiguo, absque magistro etiam, ad-  
 didicit, velut etiam radio astronomico planetarum motus diligenter  
 observavit, atque sic integrum triennium Lipsiæ exegit; id quod &  
 postea, VVitebergæ & Rostochij, sedulo & constanter continuavit.  
 Postmodùm, cùm peregrinandi ipsum invasisset desiderium, Augu-  
 stam Vindelicorum profect⁹, inibi, in Consulis Iohan. Baptista Hen-  
 zelij horto, maximum Quadrantem lignecum erexit, veluti & aliud,  
 quod Sextantem dicunt, instrumentum, quibus creberrimè siderum  
 motus exploravit. Inde in Italiam properans maximam illius par-  
 tem perlustravit, atque, de hisce disciplinis, cum viris harum peritis,  
 avide, multumque contulit, unde indies magnam Astronomiæ noti-  
 tiā indeptus est. In patriam per Helvetiam regressus, Basileam  
 Rauracorum, aut vicinum aliquem locum, sedem vitæ delegerat; non  
 solum ob loci celebritatem, virorumq; doctorum, illic commoran-  
 tum, complurium convictum; sed etiam, quod regio isthac, in trium  
 amplissimorum regnorum concursu, Italiani, Galliæ, & Cermá-  
 niæ jungeret, è quo per crebriores literas cum eruditis agere com-  
 modius

modius potuisset. Quod dum serio secum constituisset TYCHO; Rex Daniae FRIDERICVS II. Princeps literatorum amantis simus, de hoc ipsius proposito certior factus, accersitum pluribus dehortatus est rationibus, utque in patriæ potius gloriam domi studia hæc vrgeret & perficeret, adhortatus: Et ne aulicis strepitibus, aliisque impedimentis turbaretur, HVENNAM, Hellesponti Danici Insulam, Latinis Venusiam dictam, vltro obtulit: Ex Camerâ item annuos certos reditus exsolui jussit. Hanc TYCHO acceptans conditionem, insulam ingressus est desolatam; quam breui tempore splendidissimis quibusdam ædificijs habitabili, veluti & egregiis hortis, agris, piscinis, amarantham & fœcundam, cultissimamque effecit. Instrumenta, motibus cœlestibus accuratissimè obscurandis, idonea, quæ iam Pragæ in Curtiano Palatio viua aspicitis omnia, magnæ molis, at maioris artificij machinas, fabricauit quamplurimas. Ex Academiis studiosos, pictores, sculptores, cartopxos, typographos, omnisque generis artifices alios accersiuit, ipsis victu & amictu liberaliter prospexit, salario item distribuit. Illuc dies noctesque, visum, lectum, auditum, scriptum, pictum, sculptum & fabricatum. Summatim, laboratum, vnicèque cœlum spectatum est. Horum operum fama mare traiecit ipsum, vniuersam Europam penetravit, eaque ex omni parte inuitati, cateruatim quotidiè spectatū accurrerunt plurimi, quos hospitaliter excepit omnes, & pro dignitatis ratione singulos, Reges, Principes, horum Oratores, Legatos, Comites, Barones, Nobiles, Studiosos, imò tabellarios; quæ quanti sumptus res fuerit, cuius Æstimare facilius est, quam imitari. Nam, quod ipse scriptis suis publicis testatur, de peculio proprio, ultra centena millia, joachimorum, laudabili ædepol prodigalitate, in Astronomica impedit. In hac Insulâ per hosce labores nata TYCHONI est NOVAILLA MVNDANI SYSTEMATIS HYPOTHESIS, quâ hanc, quam inhabitamus, Terram, totius quidem vniuersi medium statuit, motus tamen omnis, secus quam Copernicus voluit, expertem: nec etiā iuxta hanc orbium

B

omnium.

X\*\*\*X

omnium secundi mobilis centra versari, quod Ptolomæo visum est,  
 permisit: Sed ambo solummodo mundi lumina, & vna remotissimam,  
 omnium aliarum concentricem, Octauam Sphærām, in circumuolu-  
 tionibus suis, Terram, tanquam centrum, spectare indulxit: reliquos  
 verò quinque planetas circa solem, veluti regem suum, gyros ducere,  
 ipso in omnibus illorum reuolutionibus, in medio constituto, affir-  
 mavit. Hoc ingeniosissimo inuento cœlestium apparentiarū omnium  
 exactissimas rationes reddidit, hoc obscura illustravit, dubia explica-  
 uit. Stellas fixas mille, multoties, & diuersis instrumentis, non mecha-  
 nicè, sed per triangulorum rationes, viginti & vnius anni labore per-  
 tinaci & indefesso, accuratissimè restituit, absque quarum rectifica-  
 tione haud ullus constaret verus cuiusq; planetæ locus. Solis quoque  
 & Lunæ motus quam emendatos hic reddiderit, censere artificum  
 est & laudare. Parem quoque diligentiam circa Planetas reliquos  
 adhibuit: Neque quicquam, quod ad divinæ Astronomiæ instaura-  
 tionem, perfectionemque facere noverat, unquam vel segnis intermi-  
 sit, vel invidus dissimulauit, occultauitque: id quod partim iam editi  
 ipsius in lucem libri, partim excudendi, prolixè demonstrant. Astro-  
 nomiâ mechanicâ, quam VVandesburgi, arce Ranzouianâ, ad  
 Hamburgum sitâ, propriis typis, & iconographiis elegantibus, primo  
 egressus sui ex Daniâ anno, publici iuris fecit, instrumentorum fabri-  
 cām, & eorundem usum, fideliter comonstrat: sine quorum ope &  
 subsilio vix illa obseruationum constaret certitudo. Stellarum au-  
 tem fixarum abs se perfecta restitutio, reliquarum inerrantium métri-  
 to principium habetur necessarium & fundamentum: quod reliquo-  
 rum planetarum restè demum sequitur instrumentum. Postremum  
 opus, citra quod frustrâ suscipiuntur alia, prædictionum regulas in-  
 geniosè explicat. Atque hæc, ni fallor, vniuersæ Astronomiæ forma  
 est, ad quam mihi Tycho quoq; noster scriptiones suas direxisse vide-  
 tur. Et iā profecto ex 36. an. certissimis observationib. absolutissimū,  
 quod

quod ab eo vnicè & diu expectatum, in publicum emisisset Astronomiæ Theatrum, nisi migratio ipsius è patriâ, & inde usque loci aliquoties mutatio, operæ moram inieciisset perniciosa: cuius mutationis & discessus ipsius caussas, quas perhibuit graues & necessarias, alios sìno recensere. Verùm hanc temporis jacturam facile resarcisset commodissimum otium, quod ipsi, ante annos tres, Augustissimus Cæsar RUDOLPHVS, Imperator secundissimus, fecerat, clementissimâ in Bohemiam euocatione, & sustentatione liberali; nisi, proh fatum implacabile, hunc dira mors, diuino PRINCIPI, & nobis omnibus, insperatò ademisset. Nihilominus ne quis frustrà ipsum vixisse, & cœptum tantum, non verò absolutum, ipsius opus existimet; sciat, ex tot annorum luculentis obseruationibus, quas, thesauri loco, sibi semper proximas & custoditissimas habuit, quasque, Daniâ excedens, nauic expositas (eo modo, quo aliquando Iulium Cæsarem, magnâ pugnâ & clade elapsum, suos ferunt commentarios) allocutus & exosculatus est, habere hæredes, quibus etiam hasce, iā animam agens, serio commendauit, ædificii Astronomici sufficientem materiam; cui formam inducere poscent Viri tres egregij, & TYCHOI, mathematicarum disciplinarum peritiâ, noti & chari, & aliquandiu domestici, Doctor Melchior LÖSTELIUS, Doctor Christianus LONGIMONTANUS, & Magister Iohan. KEPLERUS, inter cuius manus hæc omnia hactenus versata. Et quanquam Dn. TYCHO BRAHEVS, vt ad iuuandum commune bonum vnicè natus, sic ad præstandum non tantum per totam vitam propensus, sed sollicitissimus fuerit, adeò vt nullum laborem subterfugerit, nullis sumptibus pepercere: nihilominus, vti mos mundi huius est, aliquot hominum ( si modò tales homines sint ) reprehensiones cuadere non potuit. Aliis enim ab auitâ degenerare virtute vius est, quid equestris ordinis, & grauissimæ autoritatis homo, literas, & ex hisce mathematicas disciplinas tractaret, nec priuatim tantum ijs deliciaretur, ( quo fortassis apud hosce veniam impetrasset aliquam)

B 2

sed

Laymerus 1222

sed inde etiam publicam expectaret laudem atque gloriam: Dignus  
 reputatus, cui nobilitatis ademptum resignaretur priuilegium. Huius-  
 modi domi & foris sustinenda compluria ipsi fuerunt judicia; solo ri-  
 su, veluti & solebat, refutanda simplicitas & rudis ignorantia. Quod  
 si enim inficitia stemma meretur, quis agrestibus futurus nobilior? Sin  
 scientia insignes efficit, quænam mathematicâ potest nominari præ-  
 stantior? id quod docti intelligunt. Verum tolerabilis isthæc quo-  
 dammodo fuerat judicij infirmitas hominum, errore potius, quam  
 studio, eò dementiæ prolapsorum. At ab iis, qui eruditionis titulis  
 insolescunt, qui literarum & morum bonorum profesiones sibi ven-  
 dicant, imò ab iis, de quibus optimè semper, suomet ipsorum etiam  
 testimonio, meritus fuerat, falsas criminationes, infamesq; calumni-  
 as, exspectare & perferre, res mihi videtur longè impatientissima. Hoc  
 pacto, ante annos pauculos, quidam ingeniosus & doctus quidem satis,  
 sed absq; religione & virtute homo, tetricum & famosum contra præ-  
 stantissimum hunc virum divulgavit scriptum, quale in hoc genere  
 non vidi antiquitas, nec fortassis spectatura est unquam posteritas.  
 Non sat fuerat infamatori illi plagium committere literarium, &  
 Tychonis Hypothesin, Vrancburgi repartam, falsariè pro proprio  
 invento venditare, nisi etiam Virum aviti generis, summæ eruditio-  
 nis & inculpatissimæ vitæ, cum totâ ipsius honestissimâ familiâ, sex-  
 centis contumelijs & totidem mendacijs, apud alios si non deforma-  
 tum, suspectum saltem reddidisset. Et profectò jure acium cum hoc  
 fuisset, velut etiam jam agi coeptum fuerat, niſi mors feram illam  
 singulari beneficio affecisset, & pœnæ subduxisset commeritissimæ.  
 Sed quemadmodum Tycho ipse fese, dum viveret, contra ejusmodi  
 calumnias, conscientiæ innocentia, plurimorum item Illustrium &  
 doctorum Virorum judicio, consolatus est: sic etiam cuilibet recte  
 sentienti eadem hæc non abundè non possunt satisfacere. Ob in-  
 genij & doctrinæ excellentiam, nominisque celebritatem, Invictissi-  
 mus

mus Cæsar RUDOLPHVS, Princeps sapientissimus, (quem meritò primo  
 loco nomino) in aulam suam acerbitum voluit. FRIDERICO vero II.  
 Daniæ Regi, tam charus, tam magnus, tamq; bonus habitus, ut nihil,  
 quod maioris momenti fuerat, absque huius scitu susciperet. IACOBVS  
 VI. modernus Scotiæ Rex, carmine TYCHONEM laudavit. ERNESTVS,  
 Elector Coloniensis, plurimùm huic semper favit. GVLIELMVS,  
 Hassiæ Landtgravius, per multos annos, literis, de rebus, ad Astrono-  
 miam spectantibus, cum ipso certavit: quæ primo epistolarum ipsius  
 libro editæ continentur. VDALRICVS, Dux Megapolitanus, quò in Da-  
 niâ ipsum retineret, nihil non tentavit. Longum foret omnes, per  
 Europam, ex imperiosâ familiâ natos, defunctos & superstites, quo-  
 rum ad TYCHONEM clementissimæ extant literæ, & spectantur mu-  
 nera, huc accensere. Sed eruditorum, Dii boni, quot exaratarum ad  
 ipsum epistolarū volumina, abstrusis quæstionibus plenissima? Neq;  
 ullum hoc seculo opus eruditum, & in Philosophiâ egregium, divul-  
 gatum, in quo non TYCHONIS nomen aliquoties legatur, in quo non  
 ad ipsius autoritatem provocetur. Et, ut è plurimis paucos nominem,  
 Franciscus Patritius, Clavius, Scaliger Iosephus, Vlmus, Maginus,  
 Röslinus, honorifice hunc, & frequenter, scriptis suis compellant.  
 Quis igitur tam exmens erit aut sensus reprobi, qui non tot Illustrium  
 & doctorum virorum candidis de DN. TYCHONE censuris ipse etiam  
 subscripturus sit, veritatiique calculum adjecturus suum? Non Deum  
 TYCHONEM facio, sed hominem fuisse, & scio, & affirmo, cui nobiscum  
 omnibus errare atque labi fuit commune. Non diffiteor quoq; aut  
 pernego, & suos ipsum habuisse nævos, quibus mortalium haud ex-  
 pers ullus est. Istud tamen, coram quocunque, erectâ cervice testari  
 possum, & testor quoque, totis illis novem mensibus, quibus, trienni-  
 um ante, VVitebergæ cum familiâ mihi convixit hospes, eum fese-  
 gessisse erga Deum & Homines, quod Christianum & literatum ho-  
 minem apprimè decuit: cum conjugé honestissimâ suique observan-

B 3

tissimâ

tissimâ fœminâ, maximâ vixit concordiâ: liberos, ex octo adhuc sex superstites, ad pietatem & modestiam a fluefecit: filios, qui ipsi duo, studiis; acu & colo filias occupauit, otio, peccatorum seminario, infensis-simus; nec disfluere cæteram quoque familiam passus est. Cōsorti suæ facilis; seueritate verò reliquos continebat in officio; erga peregrinos comis; hospitalis; liberalissimus in pauperes. Verbis ipsius veritas, & breuitas; gestui & vultui grauitas; consilio prudentia; factis felicitas inerat. Nihil fictum, nihil simulatum in ipso, sed scapham scapham appellabat; vnde omne, quod sustinuit, odium. Nihil in ipso humile, nihil deiectum, sed sublimem ferebat supra omnes fortunæ minas animum. Nulla in ipso, præterquam temporis, animaduersa auaritia: ipsi vita studia erant; deliciæ verò meditatio; diuitiæ scientiæ; virtus nobilitas; religio dilectio. Fastum detestabatur omnem, omnem inanem stemmatis iactantiam. Non iræ tenax & offendionum, sed ad condonandum facilimus; vtque uno dicam verbo, quod ab alijs exceptabat, idem promptissime præstabat singulis. Prode si cunctis studebat, nocere vero nemini. Haberem, quæ plura de ipso verissime prædicarem, si id, qui me grauiter exercet, luctus sineret, nec nossem vobis aliâs hæc omnia satis superque cognita & perspecta. His animi dotibus T Y C H O noster prædictus, dum viueret, quibus etiam nunc in animis honorū viuit, & vietur us perpetuè est. Has exornarūt fortunæ bona, quæ hæreditate consecutus fuerat amplissima, veluti insuper sperare poterat olim maiora. Neq; etiā corporis hūc destituit honor atq; decus: erecta statura, firma & virilia latera, facies decora & aperta, quā ante annos triginta Rostochij quidā noctu, ausu prorsus sicario, læsit, vestigio ad mortē vsq, semper conspicuo. Valetudine antehac semper vsus fuit prosperrimâ & inoffensâ, quā deinceps loci mutatio & ipsam paulatim immutauit, nutantemque reddidit: vnde & ipse breuioris vitæ coniecturā desumpsit. Aestate præteritâ deterius longè habere cœpit, quod tamen, quantum potuit, apud suos dissimulauit. Crebriores cum

amicis

amicis lætitias abrumpens de morte sermones instituit: quin & domi à familiâ interea temporis plurima observata prodigiosa, veluti & meus aliquid Genius præsensit. Nam eo ipso, quo ægrotare hic cœpit die, ego historiæ Anatomizæ Pragensis finem imponens VVitebergæ, atq; ad lectorem præfationem amanuensi meo dicitans, plurimorumq; fautorum & amicorum nomina recitans, de repente hæc iussi scribere: Tu verò, Generosè Dn. TYCH O, fermè mihi excideras. Nam ignoro hactenus coelum an terrā potius habites: num suspicias, an despicias. Salue tamen mihi cum TYPOTIO nostro, (quem similiter ignorabam mortuum) vbiq; sis, plurimū. Dies, quo in morbum incidit, 13. Octobris erat, quem ipsi intempestiuæ inuitauit verecundia. Ad Illusterrissimi enim viri cœnam cum aliis convivans hospes, vtinam suppressit, quæ, confessu protracto aucta, vesicam ita distredit, vt, quasi luxata, postmodùm excernere volēti, amplius non obedierit. Hinc subsecuta ischuria, & doloris vehementia, quâ, cucurbitulæ instar, attract⁹ sanguis vesicæ phlegmonem induxit, quam illicò, vt solet, febris comitata continua, & ab hac leuiuscum exortū delirium. Qui affectus cō à me designatur deductiū, ne veritati forsitan vis fiat commento alienissimo. Nocte, quæ ipsius mortem præcessit, vltimâ obtinuit eas à morbo inducas, vt magnâ facilitate & consideratè plurima ordinarit. Et quemadmodum, poeticè à pueris vñq; fauens, studiosus expeditum & elegans fudit carmen: ita morti vicinus verè cygnæam canere prolixè auditus est, quam etiā multoties suos iussit excipere: ardenterissimos ad DEVVM, pro concessâ vitæ usurâ, pro exhibitis innumeris beneficiis, pro publicâ concessâ pace, pro salubri aurâ, pro tributâ toties CAESARI lætâ victoriâ, proq; bonis abundè in commune collatis omnibus, hymnos modulatus est; pro placidâ animæ emigratione, pro cœlesti diuersorio, profundis suspiriis supplicauit; Ecclesiam, Rempub. suosq; omnes diuinæ protectioni commendauit; curam egenorum habere sine respectu omnium suis scucre iniunxit; piè & honestè viuere, diuinumq; spe-

rare

rare auxiliū iussit. Itaque, inter preces & cohortationes, nobis omnibus & vitæ huic valedixit, tām tranquillè, vt deficere nec visus sit, nec auditus. Atque sic die ab hinc duodecimo, qui erat 24. Octobris, cūm annos vixisset 54. menses 9. dies exactè 29. humanis exemptus est vir Illustris & Generosissimus Dn. TYCHO BRAHEVS, singulare Naturæ beneficium, & literaturæ ornamentum; quem non tam clara patria, nobiles genitores, corporis, fortunæq; bona alia, quām excelsa mens, & diuinum ingenium, carum amabilemquè principibus, doctisq; viris, adeoq; vniuersis, præstitere; cuius mors, quam pia & honesta vita præcessit, haud mala esse potuit: eius nūc exuuias, & quicquid in ipso mortale fuit, terræ committimus, officio humanitatis vt postremo, sic maximo: pars ipsius verò melior, hoc est, anima, IESV CHRISTI seruatoris nostri sanguine preciosissimo redempta, cœlum, quod anteà suspexit & meditatus est, cum beatis omnibus, inhabitat, cunctaque hæc inconstantia despiciens, vitam iam viuit  
verè immortalem.


DESP.

ICIO.



FINIS.





942  
31.10.84  
06 Feb. 1988

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

13 Feb. 1988

SLUB DRESDEN



III/9/280 JC

3 1711811

Ashon. 221

Ab 5 from 221

R.S.

Liber T. Progymnasmata undulator Windung  
Ecliptae 02.00.1533. formata 1. c. Fundamentalis primus  
Ordo ab aliis et morte Tijdeusensis.  
componitur. — F.

5/2 F.

